

Sammlbd

Aufn. Jl

13^t Alk. 13 Ergon.

71.

DISSE^TRATI^O
De qu. illa ardua, minusq; perspicua,
^{QVI FIAT,}
QVOD MUL-
TI, ETIAM OMNI EXCEPTIO-
NE ERUDITISSIMI VIRI, IN SA-
CRARUM LITERARUM INTERPRETATIONE
A VIA VERITATIS ABERRARE
VIDEMUS?
AUTORE
ALBERTO GRAWERO, SS.
THEOLOGIÆ DOCTORE.

Nunc denuò recusa.



IENÆ,

Sumptibus Francisci Mohr / Bibliopolæ Mühlensani.

Typis Johannis Jacobi Bauhofferi, Anno 1664.



Sixtus Octavus

Mirabitur nonnullus,

Magnifice Domine Pro Rector, Viri Reverendi, Amplissimi, Consul-
tissimi, Clarissimi, tuque lectissi-
ma Studiosæ Juventutis Concio,

Exordii
propositio,
continens
occupatio
aem à mu-
tatione of-
ficii desum
tana.

Mirabitur, inquam, nonnullus,
quod ego Ecclesiasticâ functione, quam ultrâ qua-
triennium sustinui, desertâ & quasi abjectâ Schola-
sticæ seu Academicæ provinciæ onus in humeros
meos recipere non sum veritus. Quis enim ignorat
illud Apostoli *I. Corinth. 7.* unusquisque in qua voca-
tione vocatus fuit, in ea maneat. Et sanè præter men-
tem meam planeq; præter omnem expectationem id
contigisse fateor: ac, si penitus meo mihi vivere li-
cuisset voto, forsan celeberrimam hanc Professorum
Theologicorum Cathedram nunquam ascendissem.
Probè enim mihi fui conscius meæ tenuitatis & in-
fantiæ: Optimè novi, quām sit mihi curta supellex:
intellexi hunc locum nonnisi politissimum, & qui-
dem, ut Scaligeri verbis utar, emunctæ naris postula-
re ingenium: Scivi quot & quantæ in ejusmodi offi-
ciis sæpiissime exoriantur difficultates & molestiæ:
non me latuit, quām facile quis in hac statione collo-
catus impingat, & quām sæpè optimè cogitata pessime
cadant, ut non procul absuerit, quin dixerim cum
Mose: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es, & cum*

A 2 Jere-

Solutio oc-
cupationis.

Jeremias; Ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Verum dum
 hasce & longe plures simili res in corde meo, ut Plauti-
 no sermone mihi hac vice uti liceat, ac dubius haereo,
 ultra harum pars mihi sit expetenda, occurrit tandem
 illud Pauli: Voluntati Dei quis resistet? Voluntatis au-
 tem divinæ indicium hoc putavi esse certissimum,
 quod hanc functionem nunquam ullâ ratione ambi-
 verim; sed consilio & suasu Virorum dexteritate judi-
 cii & autoritate maximâ insignium à summo Magi-
 stratu mihi nihil tale quicquam speranti fuerit oblata.
 Arbitrabar itaque ad me etiam certo modo spectare,
 quod Dominus Jeremias dicebat: Ad omnia, ad quæ te
 mittam, ibis, & universa, quæ præcipiam tibi, loqueris. Re-
 cordabor etiam responsi, quod Moses à Domino acci-
 piebat: Quis fecit os hominis? aut quis mutum & surdum,
 videntem & cæcum? nonne ego Jehova? Perge igitur, ego ero
 in ore tuo, doceboque quid loquaris. Stationem itaque me-
 am non deseruisse, nisi ei, qui supremum vocationes
 perniutandi jus habet, omnino parendum fuisse exi-
 stimasse. Legimus in Actis Apostolorum capit. 16.
 quod Paulus, licet generalem haberet vocationem, &
 quidem in primis ipsi concreditum esset ministerium
 præputii, sicuti Petro circumcisio, uti colligimus e
 2. cap. ad Galatas; tamen fuerit prohibitus à S. S. loqui
 sermonem Dei in Asia, certè non aliam ob causam, li-
 cet ab aliis aliæ in medium proferri soleant, quam
 quod majori cum fructu in Macedonia Evangelium
 annunciare poterat, quod viri Macedonis Apostolo
 Paulo apparentis petitio non obscure subindicit. Vo-
 catio quidem hæc, cui Paulus non adversabatur, teste
 Lucâ in Actis cap. 16. v. 10. apertos divina fuit, quam

BIBLIOTHECA

435

meam non esse lubentissimè fateor; attamen εμεώς,
cum necessaria requisita legitimæ vocationis non ne-
glecta fuisse constet, divinam & propterea eandem
non repudiandam esse mihi persuasi. Ferendo quidem
tanto oneri sum impar: ideoque alium virum perfe-
ctiori eruditione & sublimiori judicio præstantem, ac
sic me longè aptiorem ad hoc augustum munus voca-
tum fuisse optarem; veruntamen si pro viribus fideli-
tatem meam promisero, nec in me sciens volensque
aliquid desiderari patiar, bonorum expectationi me
satisfecisse putabo.

Quoniam vero hoc munus publicè, non nisi præ-
missâ aliquâ solenni oratione inchoari solet: ego re-
ceptæ consuetudini refragari nolui; sed potius eidem
me subjiciendo deservire. Citius id fieri debuisse fate-
or; sed quid impedimenti retardârit propositum, ipsi
nôstis, ut excusatione haud opus esse mihi pollicear.
Cogitanti autem mihi, qua de re potissimum in hoc
augustissimo confessu convenienter verba facerem,
tandem allibuit breviter declarare, qui fiat, quod multi,
Propositio.
etiam omni exceptione eruditissimi viri in sacrarum litera-
rum interpretatione à via veritatis aberrare videmus?
Hunc namque nodum Monachi, quos Jesuitas voci-
tare solemus, in Colloquio Ratisbonensi sess. 14. nostris
Theologis dissolvendum objecerunt. Questio profe-
ctò ardua & minus perspicua; perutilis tamen & ad-
modum necessaria, siquidem vera & genuina ad veri-
tatem perveniendi adminicula exponit. Veniam itaq;
dabitis, si minus accuratè & nervosè eam decidero: e-
nitar tamen pro viribus, ut Monachis omnis glorian-
di materia eripiatur. Deum Opt. Max. oro, ut mihi di-

centi suo Spíitu sancto adsit: à vobis autem Magnifice Domine Pro-Rector &c. ut mihi patulas aurum ædes præbeatis, contendō.

*magistrorum
quædam de
Theologia
necessitate
& præemi-
nentia.*

locisq[ue]m

Præter disciplinas ratione humanâ investigatas homini ad salutem fuisse necessariam doctrinam revelatam, de his, quæ humanam rationem excedunt, quam sacram Theologiam solemus appellitare, quæq[ue] in sacris literis descripta legitur, Gentium ille Doctor innuere videtur, quando 2. Tim. 3. v. 16. & 17. inquit: *Tota Scriptura est divinitus inspirata & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam, quæ est in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omnne opus bonum perfectè instructus.* Quia enim homo, ut rectè Thomas 1. part. sum. Theol. quest. 1. a. 1. ait, ad DEUM ordinatur tanquam ad quendam finem, qui comprehensionem rationis excedit, siquidem, teste Paulo, 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ preparavit iis, à quibus dilititur, similiter, animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei,* unde & Augustinus scitè super Genesim scribit: Major est sacræ Scripturæ autoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas; Finem autem quoniam oportet esse præcognitum hominibus, qui sūas intentiones & actiones debent ordinare in finem, omnino necessarium fuit homini ad salutem, ut ei per revelationem divinam innotesceret doctrina quædam, quæ humanam rationem excedens hujus finis cognitionem plenam & sufficientem proponeret. Nec solùm hæc doctrina maximè fuit necessaria; sed & est præstantissima, ac, si cum omnibus cæteris disciplinis tam Theoreticis quam Practicis conferatur, extra contro-

ver-

versiam omnium præcellentissima. Nam quod Theoreticas attinet disciplinas, illa putatur dignior, quæ certioribus nititur principiis ac circa dignius versatur objectum. Quis verò sacrarum literarum, & sic etiam sacræ Theologiæ certitudinem ignorat? Reliquæ enim disciplinæ suam habent certitudinem ex naturali humanæ rationis lumine, quam errare posse nemo inficiabitur; Hæc verò ex lumine divino infallibili, quod decipi non potest, nixa subsistit. Si dignitatem objecti seu materiæ consideremus, rursus sacræ Theologiæ merito primas assignamus, Deum namq; ipsum, quo nihil sublimius, nihil præstantius, nihil dignius, non juxta humanam, sed divinam rationem considerat, imò principaliter est de his, ut Thomas loquitur, quæ altitudine sua rationem omnem transcendunt. Cum practicis verò disciplinis si hæc nostra comparari debeat, similiter nobilissima merito deprædicatur, nobilissimum namque finem sibi propositum habet, nempe vitam æternam, nec ad aliam aliquam dixigitur; sed ad hanc cæteræ omnes. Ultitum quidem aliis disciplinis; sed tantum nostri caussâ, qui sine illis hanc commode consequi non possumus. Verum hoc non ita accipi velim, quasi ope solarum disciplinarum Philosophicarum, cæteris adminiculis omnibus exclusis, cognitionem sacræ Theologiæ commode adipisci valeamus: Plura enim & quidem potiora requiruntur. Et ab initio quidem, si ulla in re opus est precibus, certè imprimis otandus est Deus, ut in veritatis indagatione nobis adsit, Spiritu suo sancto mentem nostram illuminet, ac studia nostra sanctificet, ne à veritatis tramite vel ad dextram vel ad sinistram de-

Collatio
Theologiæ
cum discip-
Theoretis-
cis.

Collatio
Theologiæ
cum discip-
plin. pra-
cticis.

Præter eo-
gnitionem
Philoso-
phie ad
Theolog-
studium
necessariæ
sunt preces

cli-

clinemus. Ipse enim solus habet clavem David, ipse solus aperit & claudit, ut scriptum legimus *Esa.* 22. & *Apocal.* 3. Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & diligentiam, teste *Job* 12. cap. Ipse solus dat os & sapientiam *Lucæ* 21. Hinc regius Psaltes David *Ps.* 86. *Doce me Domine viam tuam, fac ut ambulem in veritate tuâ, Psal.* 119. Da mihi intellectum. Christus ipse pro discipulis suis intercedens, inquit *Joh.* 17. Sanctifica eos in veritate tuâ: Sermo tuus veritas est. Et *Jac.* 1. Si quis indiget sapientiam, postulet eam a Deo, qui dat eam omnibus benignè, nec exprobrat, & dabitur ei: sed postulet cum fide nihil ambigens. Quibus in vera fide peractis necessum est, ut diligens subsequatur meditatio: Beatus enim cuius voluntas in lege Domini, & qui in lege Domini meditatur die ac nocte, *Ps.* 1. Non enim verisimile est, ignoravis & torpentibus Spiritum sanctum subvenire; Sed anima sedulorum impinguabitur, inquit Salomo *Prov.* 17. Indefinenter sacrarum literarum Codices volvendi-revolvendi, & quidem non oscitanter; sed summo ac ardentissimo studio. Hinc Christus *Joh.* 5. Scrutamini scripturas: non igitur solum legamus, sed relegamus: non nude intueamur, sed scrutemur: & quoniam scriptura non est *idiās ὅτιλύτεως* 2. *Petr.* 1. sed sui ipsius Interpres minime fallax, seipsum exponens & declarans, exactam & diligentem similium sacræ Scripturæ locorum collationem, ex qua verus sensus eruitur, instituamus; Sic enim Dominus inquit *Deut.* 6. Verba, quæ ego præcipio tibi, erunt in corde tuo, & acues ea filiis tuis, ac loqueris de eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, cubitum iturus atque consurgens 1. *Tim.* 4. Intentus esto

Item & me-
ditatio di-
ligens.

*Locorum
Scripturæ
similium
collatio,*

est doctrinæ, *Coloff. 3.* Sermo Dei habitet in vobis abundanter. Huic mandato paruerunt Berhoenses, scrutantes scripturas, an res ita se haberet, ut legimus *Act. 17.* Sacra Scriptura est dives thesaurus rerum spirituallium, ex quo homo doctus ad regnum cœlorum de-
promit nova & vetera, hoc est, quicquid ad salutem animalium scitu necessarium exigitur, teste Christo, *Matth. 13.* Tandem, si accedit tentatio, longè facilior & expeditior est cognoscendæ veritatis ratio: Qui enim tentatus non est, parum novit, inquit *Syrach. 34.* & *Esaias 28.* Sola vexatio dat intellectum. Non autem hypocriticam Monachorum Papalium, qui relictis vi- tæ œconomicæ laboribus à Deo præceptis, molestias non necessarias sibi creant & attrahunt, temptationem intelligo, sed eam, quæ quemlibet fidelem, imprimis autem Ministrum Ecclesiæ vocationis suæ operas diligenter peragentem sponte comitatur, oportet enim per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei, *Act. 14.* & qui volunt piè vivere in Jesu Christo, persecuti-
onem patientur, *2. Tim. 3.* Unde *Syrac. 2.* Fili, si institui-
sti servire Deo, fac animam tuam ad temptationem ut præpares! His adminiculis recte adhibitis non dubita-
mus, quemvis in sacrarum literarum interpretatione
occupatum ad veritatis cognitionem tutò pervenire posse.

Sed dicat aliquis: Quænam itaque causa, quod multi his adminiculis utentes nihilominus veritati è diametro adversantur? Hic multos audies, qui Philo-
sophiam ut veram & genuinam hujus mali caussam accusant. Sic enim quidam scribere haud sunt veri-
ti: *Quanto magis excolitur ratio humana Philosophicis*

B

*4 Tentatio
non simu-
lata.*

*qualis ten-
tatio intel-
ligatur.*

*Objec-
tio.
Quorundā
solucio.*

stu-

¶ 8 5

Rudiis, tanto armatior prodit, & quod se ipsam amat impensis, eò Theologiam invadit atrocius & errores pingit speciosus. Unde Paulus ad Coloss. 2. Philosophiam deprendantem discipulos agnoscit, & ad Galat. 5. inter opera carnis rejicit hæreses, quod primitiva Ecclesia per experientiam edocita sic explicavit: Philosophos esse Hæreticorum Patriarchas. Hæc illi, quibus Tertullianus libr. de prescript. adversus hereticos cap. 7. ad stipulari videtur, inquiens, nominatim Apostolus Philosophiam caveri oportere testatur.

Reiectio
solutionis
cum vera
data solu-
tione.
Causa cur
multi infes-
ticiter cum
Adversariis
disputent.

Verum hi præposteri censores nimium à vero aberrant, tantum enim abest, ut Philosophia hæc culpa imputari possit, ut permultis veræ Philosophia ignorantia errandi occasio extiterit. Et certè quod hoc seculo multi minus feliciter cum Adversariis congrediuntur, contemptus Philosophia facit. Nam ut de linguarum cognitione, quas Studio Theologiae impensis necessarias esse, non dicam, Theologia est doctrina maximè argumentativa, ut Thomas I. part. sum. qu. I. art. 8. loquitur, quod Paulus indicat, quando præcipit Timotheo, ut exhibeat se tanquam ministrum, sermonem veritatis recte secantem, dum cundem vult esse διδακτικὸν 2. Timoth. 2. quando ab Episcopo exigit, ut sit διδαστὸς ἐλέγχων τὴς ἀπόλεψες. Tit. 1. Quomodo enim absque argumentatione cum fructu quis docebit, immo quomodo absque methodo? Nemo autem fieri artifex methodi potest, ut Melanchthon alicubi loquitur, nisi bene & rite assuefactus in Philosophia. Quomodo sermonem Dei recte secabit? Quomodo sophisticos Elenchos Hæreticorum dissolvet? Dionysius Cisterciensis Monachus super lib. I. sentent. distinct. 5. 6. 7. sequentia,

Tri-



29

Trinitatem impugnantia, enumerat Sophismata: *Hæc essentia est Filius: Hic pater non est filius: Ergo hic pater non est essentia.* Item: *Omnis essentia divina est filius. Nullus pater est filius. E. N. pater est essentia divina.* Item: *De nullo eodem verificantur contradictoria; De Patre & essentia divina verificantur contradictoria: E. pater & essentia divina non sunt idem.* Rursus: *Hic pater generat; hæc essentia non generat. E. hæc essentia non est iste pater.* Ad hæc & infinita alia, in quibus præmissæ veræ, conclusio autem falsa, quomodo absq; beneficio Logicæ sufficienter ac solide responderi poterit? Vanus autem ac omnino irritus est clamor illorum, qui sacras literas confirmatione syllogisticâ non indigere objiciunt. Theologia enim non utitur syllogismis, ut sua principia, quæ sunt *axiomata*, probet; sed ut ex principiis aliquid aliud optimâ consequentiâ concludat. Quemadmodum enim scientia sua principia non probat; sed ex eis conclusiones deducit: ita etiam Theologia argumentando sua principia seu dicta sacræ Scripturæ non probat; sed ex illis syllogisticè aliquid colligit. Exemplis fieri res illustrior: Pontificius ait, non sola fide justificari hominem; sed simul operibus, & quidem fide formatis, nempè charitate & spe. Pro hac sua opinione stabienda inter alia adferunt & hæc Christi verba *Luc. 7. descripta:* Remissa sunt huic mulieri peccata multa, quia dilexit multum. Si ego hic postulavero ab Adversario, ut syllogisticè mecum agat, non hoc volo, ut ipsum sacræ Scripturæ dictum per se fide dignum syllogisticè confirmet; sed ut suam opinionem ex illis verbis Christi necessario sequi syllogisticè ostendat. Similiter cùm ego assero, Romanam Ecclesi-

Sophismata quædam

Quomodo
Theologia
Syllogis-
ticæ utatur?

Declaratio
per Exem-
plum.

166

am non esse sinceram & orthodoxam Ecclesiam, & loco probationis attulero illud Christi *Johann.* 10. Oves meæ vocem meam audiunt, Jesuita aliquis à me syllogismum exigit, non ut verba Christi allata probentur; sed ut meam sententiam iisdem necessariò stabiliri syllogisticè atque sic evidenter evincam. Nihil enim effecero, si maxime aliquot *plausta dictorum Scripturaræ sacræ* attulero, nisi eadem ad meum propositum facere per syllogisticam consequentiam ostendero. Ex quibus, quanta si utilitas, quanta sit necessitas syllogismi in disceptationibus Theologicis, nemini obscurum esse arbitror. Unde *Lutherus* rectè pronunciavit
Anno 1517. *Theologus non Logicus est monstruosus hereticus.* Illotis itaq; manibus Theologiam attingunt, qui sperto Philosophico studio eam aggrediuntur. Sed Logicæ forsitan, tanquam instrumento, multi erunt æquiores, ipsius autem Philosophiæ aliam esse rationem prætendent, eamq; veritatis Theologicæ cognitionem multis modis impedire ac pervertere objicient, propterea, quod permulta principia Philosophica, tanquam falsa & impia, in sacra Theologia locum habere prorsus nullum sibi persuasum habent. Idem enim inquit *Lutherus* in disputat. quâdam *Anno 1539.* *habitâ Sorbona* pessime disputavit: Idem esse verum in Philosophia & Theologia. Hæc illi, ut sibi imaginantur, satis speciosè. Verum omnia & singula nullo negotio dilui possunt. Apostolus Paulus Philosophiam nullibi damnavit, nullibi discipulos deprædantem agnovit, nullibi vitandam esse docuit, nullibi Philosophiam inter carnis opera rejicit, aliud namq; hæresis, aliud Philosophy. Falso Philosophomastyges Pauli autoritatem suo errori

Testimoniis
um Lutheri

Ocupatio.

Sol. vera
Resp. ad-
dict. Paul.
Coloss. 2.



615

errori prætexunt. Videte, inquit Apostolus loco citato; ne quis vos decipiatur per Philosophiam. His verbis, si Apostolus Philosophiam, ut deprædaticem damnat, si eandem, ceu noxiā, vitandam esse monet, pari ratione & ipsam Theologiam, imò omnes ferè creatureas Dei condemnābo, quia fieri potest, ut earum abusu decipiamur. Perinde est, ac si quis dicat: Vide ne decipiatur te vinum: quā locutione non ipsum vinum, sed abusus ejusdem improbatur.

Divum Lutherum quod attinet, is nunquam Philosophiæ dicam scripsit, sed potius ut lumen naturæ, quod adeò per lumen gratiæ non tollitur, ut potius per id perficiatur, multoties commendavit, uti videre est in explicatione Evangelii, quod Festo Nativitatis Christi prælegitur.

Recte Lutherus assertit: Idem non esse verum in diversis disciplinis, non quod in una disciplina est verum, id in altera sit falsum; sed quod diversæ disciplinæ de eadem materia non agunt.

Recte etiam Lutherus docuit, non esse idem verum in Philosophia & Theologia, eo sensu, quasi omnia, quæ tradit Theologia, etiam in Philosophia, ut vera, admittantur & tradantur.

Nam licet verum sit, omnia, quæ Philosophia tradit, vera esse in Theologia, attamen verum non est, quod omnia, quæ in Theologia vera traduntur, & in Philosophia sint vera, non quod in Philosophia sint falsa; sed nec falsa nec vera, hoc est, plane nulla, quia Philosophia de multis, quæ in Theologia traduntur, prorsus non adit.

Excusatur
Lutherus
simul & de-
fenditur.

Notata hæc
dignissima
sunt.

Mens Lu-
theri de
Philoso-
phia genui-
na.

Axiomata
qua Theos-
logiae ad-
versari di-
cuntur, &
videri pos-
sunt.

NB.

Eadem propositio, quæ in Philosophia & Theologia traditur, si in unâ sit vera, in alterâ etiam vera erit: Hinc rectè dicitur: Quicquid verum in Philosophia, id etiam verum in Theologia; sed non contra: Quicquid verum in Theologia, id etiam verum est in Philosophia. Hæc est Lutheri mens, hic Lutheri scopus, quem multi non attendunt, dum rem ipsam cum abusu rei confundunt. Hunc damnat Lutherus in Aristotele, Sorbona & Scholasticis Theologis; illam vero minime. At multa in medium adferunt pronunciata Philosophica, quæ Theologiæ palam repugnare clamat, veluti: Ex nihilo nihil fit; Tria esse rerum naturallium principia, Materiam, Formam & Privationem; Finitum non est capax infiniti; Nullum corpus naturale potest simul & semel esse in duobus locis; Nulla virgo est mater; Nullum individuum, quod semel interiit, idem numero redire potest; Nulla hypostasis realiter differt ab ea natura, cuius est hypostasis; Finitum non nisi finita subsistit subsistentia. Hæc & similia perpetuo in ore habent, qui Philosophiam suspectam & exosam reddere conantur, unde tritus sermo, quando in solutione nodi difficultioris hærent: Hoc valet in Philosophicis; non autem in Theologicis. Item: hoc in Philosophia est verum, in Theologia autem falsum, atque sic Auditori scrupulum se pulchre exemisse arbitrantur. Verum toto cœlo errant, affirmare enim unam eandemque propositionem esse veram in Philosophia & falsam in Theologia, nihil aliud est, quam ipsi Deo, à quo omnis veritas, bellum indicere ac dona Dei contemnere, quod ut facilitiori negotio obtineam, sequentia ait ipsa, minime dubia, quam diligentissime notari velim.

I. Accu-

1. Accurate distinguendum est inter Philosophum & in-
ter Philosophiam ipsam. Licet enim Philosophia non vo-
litet in aere, sed sit in animo hominum tanquam subje-
cto, aliud tamen est Philosophia, aliud item Philoso-
phus, aliud abstractum, aliud concretum, nec promi-
scue eadem utriq; tribuenda. Ut igitur errores Theo-
logorum ipsi Theologix imputari non possunt, ita nec
Philosophorum errata in ipsam Philosophiam trans-
ferri debent: vitium artificis non damnet ipsam ar-
tem.

2. Non Entis nulla sunt accidentia: Cum enim acci-
dentiū esse sit inesse, utique in aliquo erunt, non in
nihilo, ut taceam, contradictionem implicare, non Ens
esse, & tamen reverā accidentia habere. Quod igitur
in Philosophia prorsus non docetur, id neque verum
neque falsum in ea esse poterit.

3. Duo contradictientia non possunt esse simul vera: Cum
impossibile sit, idem simul esse & non esse, nisi quis
per absurdē eadem esse dicat, sedere & non sedere, æg-
rotare & non ægrotare, Deus potest mentiri, Deus non
potest mentiri. Similiter inter duo contradictientia
non datur tertium, nisi quis inter hominem & non ho-
minem, Deum & non Deum, esse & non esse tertium
dari posse asserat, quod απλας αδιvator.

4. Distinguenda sunt res ipse, quæ cognoscuntur: Quæ-
dam sunt meræ revelationis, quæ non nisi ex singulari
patefactione divina sunt notæ, ut Articuli fidei de Tri-
nitate, incarnatione, justificatione, & quæ ratio huma-
na, sic & Philosophia ignorat: quædam vero non sunt
meræ revelationis; sed etiam naturā quodammodo
notæ, ut sunt principia naturalia nobiscum nata, to-
cum esse majus quilibet suā parte, bis 4. esse octo, eau-
sam

Responsa
ad
Axiom.
præmissis
certis po-
stulatis se-
ptem.

1.

2.

3.

4.

sam non esse ἀπλῶs posteriorem suo effectu, &c. de quibus fusiūs agit Philippus Melanchton lib. 4. Dialect.

5.

5. Ex principiis illis naturalibus divinitus in homines transfusis, & que sunt lux divinitus insita mentibus, ut Philippus loquitur, exstructa est tota Philosophia: Unde quicquid cum eis non consentit, in Philosophia locum non habet, quicunque etiam Philosophus hoc ipsum dixerit. Non enim Philosophia à Philosopho; sed hic ab illa pendet. Quapropter à Philosophia discedens eatenus Philosophi nomen amittit.

6.

6. Verum à suo subjecto non habet, ut sit verum sicuti bonum à suo subjecto habet, ut sit bonum, sed à suo objecto, à quo mensuratur, ut si enunciatio dicat tale esse, quale reverā est, vera dicatur propter ipsum objectum. Sicuti enim objectum est causa intellectionis: ita etiam est causa veritatis seu veræ intellectionis.

7.

7. Denique quilibet enunciatio determinatè juxta subjectam materiam, & prout natura istius disciplinæ, in quâ tractatur, postulat, est accipienda, ne fiat μεταβολή eis αλλο γένε. Hisce, tanquam verissimis & minimè controversis, præsuppositis sic concludo: *Quicquid extractum est ex principiis naturalibus nobiscum natis, id non pugnat cum Theologia.* Principia namque naturalia nobiscum nata, ut Philip. lib. 4. Dialect. docet, sunt lux divina congruens cum mente divina. Atqui tota Philosophia exstructa est ex principiis naturalibus nobiscum natis. Cum Theologia igitur pugnare non potest. Deinde: *Nullum Dei donum adversatur Theologia.* Atqui Philosophia etiam post lapsum est donum Dei; Theologia itaque non adversabitur. Nec est, ut quis hoc loco objiciat, dona Dei fieri mala: nam abusus rei non tollit rem ipsam, nec

Syllogis.
mus invi.
aus primus

Secundus.

Objectio.

615

nec abusus rei ipsi; sed abutenti est imputandus: alias & ipsam Theologiam malam fieri dicemus, cum eâ homines multoties abuti sit in confessio. Præterea: Si una eademque enunciatio est vera in Philosophicis & falsa in Theologicis, sequetur unam eademque rem simul esse & non esse. Vera enim enunciatio dicit rem esse, quæ est, & non esse, quæ non est: Falsa dicit rem non esse, quæ est, & esse, quæ non est. Si igitur una eademque enunciatio est vera in Philosophicis, falsa in Theologicis, necessariò sequitur, quod una eademque res simul sit & non sit. Similiter, quia veritas nihil aliud est, quam adæquatio notionis mentis cum ipsâ re, una eademq; enunciatio cum re consentiret, & non consentiret, quod rursus contradictionem implicat. Denique, ut plures brevitatis causâ rationes non attingam, si una eademque enunciatio in Philosophicis vera, & falsa in Theologicis, sequetur necessariò, quod simul una eademque enunciatio sit à Deo & à Diabolo. Omnis enim veritas à Deo, quia bona, & omnis falsitas à Diabolo; Sed posterius est absurdum; Ergo & prius. Quod exempla objecta attinet, pariter in Philosophia & Theologia vera agnoscuntur, modo dextrè intelligantur. Verum est non solum in Physicis, sed etiam Theologicis: Ex nihilo nihil fit. Si quis creationem objicit, fœdè errabit. Principium namque illud Physicum non de creatione, quæ solius Dei opus, sed de generatione naturali loquitur. Concedit autem etiam Theologia, naturaliter & naturali generatione ex nihilo nihil posse produci. Non igitur Philosophia hic errat, sed is, qui principium hoc Physicum male & contra Physicam interpretatur.

C

Simi-

Solutio
cum deduc-
tione ad
absurdum.
Tertius.

Quaestio VI

Quintus.

Seqvuntur
respons. ad
argumenta
contraria.

Ad primum



Ad secundum
dum.

Ad tertium

Ad quartum

Ad quintum
& sextum.

Ad sept.

Ad octav.

Similiter tria esse principia naturalia generationis naturalis non solum Philosophia docet; sed & Theologia concedit: nam rursus hic non est sermo de creatione. Finitum non esse capax infiniti capacitate physica & mathematica, Theologia non negat. Si quis autem principium hoc aliter, & quidem de quavis participatione contra unionem personalem τὸ λόγος & carnis Christi interpretetur, is non Philosophiam seu Physicam incuset & falsitatis arguat, sed sibi ipsi dicam scribat, qui principio huic Physico falsam affingit mentem, falsam explicationem. Nullum corpus naturale simul & semel posse in duobus locis esse Physicus docet, & quidem vere: Loquitur enim de potentia naturae, quā unum corpus in pluribus simul locis esse nec ipsa Theologia permittit. Nulla igitur hic rursus pugna. Similiter, nulla virgo est mater, nullum individuum, quod semel interiit, idem numero redire potest, naturaliter scilicet & per causas Physicas. Hoc sensu, qui est verus & genuinus, easdem enunciationes & Theologia adprobat, siquidem nullibi sacra pagina testatur, quod virgo naturaliter sit mater, aut corpora emortua naturaliter in vitam sint revocanda. Eadem limitatione accipiendum est & hoc axioma: Finitum non nisi finitā subsistit subsistentiā, nempē propriā, quod & Theologus non negat: Licet enim caro Christi subsistat subsistentiā τὸ λόγος infinitā, nemo tamen hanc subsistentiam carni Christi propriam esse affirmabit. Simili ratione Theologia concedit, quod nulla hypostasis realiter differat ab eā naturā, cuius est hypostasis propria. Licet enim hypostasis τὸ λόγος sit facta etiam hypostasis carnis assumta, ut Damascenus loqui-

loquitur, & ab eadem carne realiter differat, tamen hypostasis τοῦ λόγου non est propria carnis assumtæ; sed duntaxat per unionem personalem communicata. Eadem est ratio cæterorum pronunciatorum Philosophorum omnium, quæ adferri solent, quæq; adferri possunt: Semper enim tenendum, quod determinatè juxta subjectam materiam cujusque disciplinæ sint accipienda, & sic nunquam sinceræ Theologiæ adversabuntur. Ut ut igitur quosdam Philosophos Hæreticorum in N. T. Patriarchas fuisse non negavero; Philosophiam tamen aut Philosophica principia ullius hæreseos causam esse nego pernegeroq;. Vel millies enim inculco, abusum rei distinguendū à reipsa: Theologi complures ad stabilienda sua Paradoxa abutuntur Theologiâ; nemo tamen propterea ipsam Theologiam accusat. Gladio abutitur Tyrannus, an propterea malus & Magistratui minimè committendus putabitur? Absit! Verūm recurrit jam prior difficultas, quænam nimirum sit causa, quod multi à veritatis via in disputationibus Theologicis aberrent? In genere respondeo: Causam esse, vel quod non diligenter meditantur seu legitima & necessaria accuratae & pīx meditationis requisita negligunt, nempe cognitionem linguarum, & artium Philosophicarum, lectiōnem assiduam sacrarum literarum, eamque multoties repetitam, exactam collationem earundem. Vel quod non ardenter orant, nec à Deo dona Spiritus sancti verā fide & humilitate efflagitant. Sed vellicat mihi autrem Jesuita Tannerus, inquiens: Compertum est in Ecclesia, quod multi sanctissimi & præstantissimi viri, non obstantibus precibus continuis, à Scripturæ sensu

C z ab.

Axiomata
Philosophi-
ca non sunt
causa hære-
scos.

Simile à
Theologis
nonnullis
desumptum

Cur desle-
ctent doctis
simi à via
veritatis?

Resp. gen.
ad princi-
pal. quest.

Obj. Tan-
neri duplex



aberraverint. Item si multi sancti & erudití viri, adhibendo medium orationis, in multos errores, sive fundamentales fuerint, sive minus principales, sint Iapsi, sequitur, quod oratio sola non possit esse medium sufficiens & ordinarium pervenienti in omni controversia ad veram sententiam Scripturæ; Sed verum est Antecedens; Ergo & consequens.

Resp.

Verum ego antecedens verum esse, verum non puto: dicit quidem Tannerus, omnia à se esse exclusa, idcirco manere argumentum; sed male exclusit, & sic ex falsa hypothesi conclusit. Probare debet Jesuita, quod illi, quos aberrasse, & quidem in fundamento fidei aberrasse docet, fuerint homines sanctissimi, eruditione præstantissimi, qui diligentissime fuerint mediati, quodque fideli & nini mè dubiâ oratione fuerint usi: Hæc enim non sigillatim, sed conjunctim in quolibet considerari debent. Si igitur quis in quæstione aliquâ aberraverit, non hæc non esse sufficientia media; sed unum horum, si non plura, abfuisse putabimus.

Quomodo enim alias constaret promissio divina? Pontifici Pontificem suum ex Cathedra definitem errare non posse contendunt, prætendentes assistentiam Spiritus sancti, quam promiserit Christus his verbis: Rogavi pro te, ut ne deficiat fides tua, *Luc. 22.* Item, Spiritus ille veritatis ducet vos in omnem veritatem. Si illi ritè urgent promissionem pro stabilienda Papæ autoritate, ut se urgere existimant, nos multò magis promissionem divinam in hac quæstione contra illos urgemos. Christus inquit *Luc. 11.* Quisquis petit, accipit, & qui querit, invenit. Item: Si vos, qui estis mali, nostis bona dona dare liberis vestris, quanto

5195

tō magis Pater ille cœlestis dabit Spiritum sanctūm
potentibus ab ipso? Jacobus ait i. cap. Si cui vestrūm
deest sapientia, petat à Deo, qui dat eam omnibus be-
nignè, nec exprobrat, & dabitur ei; David Psal. 25. Se-
cretum Jehovæ revelatur timentibus eum. Es. 55. Do-
minus pollicetur, verbum suum non redditum va-
cuum.

Affirmare igitur, viros verè sanctos, eruditione
sufficiente instructos, diligentissimè meditantes &
Spiritūs sancti auxilium petentes à via veritatis, præ-
cipue in articulis fidei fundamentum *āπέρως* concer-
nentibus, aberrare, est Deum in suis promissionibus
mendacii arguere.

Sed nominabit forsan Jesuita multos ex Patribus,
qui, licet fuerint viri sanctissimi & eruditissimi, nihil o-
mittunt à via veritatis aberraverint.

Concedo multos ex Patribus gravissimè halluci-
natos fuisse, sed quod Jesuita inde elicere conatur, mi-
nime sequitur.

Tales enim aut non fuerunt verè sancti, licet ob
externam speciem sanctitatis fuerint commendati,
aut non semper fuere ejusmodi, aut non serio & ar-
denter orārunt, aut non satis diligenter meditati fue-
runt, quod attinet in primis illa capita, in quibus erra-
runt, aut peculiarem revelationem extra verbum ex-
spectarunt.

Quicquid tandem fuerit, certum est, media hæc
legitimè adhibita non fuisse, licet nos, qui cordi-
um scrutatores non sumus, in specie ille defectus
lateat.

C. 3. Nos

Alia Tan-
neri objec-
tio.

Solutio



Nos sanè səpissimè putamus, hos aut illos Scripturæ
Interpretes esse viros sanctissimos & eruditissimos; Ve-
rūm res ipsa aliud loquitur, siquidem tandem ea oc-
currunt, quæ legitima media non fuisse adhibita satis
superque evincunt. In multis ambitio veritati locum
non concedit:

Dum sibi turpe putant pārēre minoribus, & quæ
Imberbes didicere senes perdenda fateri.

Hi malunt cum offendiculo Ecclesię & jactura pro-
priæ salutis litigare, quām gloriam externam & existi-
mationem apud homines amittere. Hi metu ignomi-
niæ malunt sine accurata veritatis indagatione in sua
sententia perseverare, quām quærendo veritatem in
suspicionem erroris & ignorantiae incurrere. Tales e-
rant Pharisæi, de quibus Joh. 12. scriptum legimus: Di-
lexerunt gloriam hominum potius, quām gloriam
Dei. Talis fuit hoc nostro seculo Samuel Huberus, qui
de errore convictus aperte proficebat coram ma-
gnæ autoritatis Theologis, se nolle cum dici, qui erro-
res scripsérat, defendérat, ac juventutem docuerit.

Multis, quō minus veritatem assequantur, impedi-
mento est Philosororū, dum à quovis veritatem reporta-
re conantur, & non tām veritatis, quām victoriæ cau-
sā disceptant: Tales esse Jesuitas nemo ignorat, nisi
qui acta Colloquii Ratisbonensis non legit. In multis
obstat pertinacia: in aliis præjudicium & præconce-
pta opinio: in aliis autoritas hominum. Sic Donatistis
obfuit autoritas Cypriani, cuius autoritatem Augustino
semper objiciebant. A multis exulare videmus veri-
tatis cognitionem propter falsas narrationes, calumni-
as, & obtrectationes, quibus & doctrina ipsa & docen-
tes

tes non raro deformantur. Hujus rei exemplum præbent nobis Pontificii & Calviniani, qui apud imperitam plebeculam, imo & literatos etiam, mira dogmatum monstra nostris Ecclesiis affingunt. Alii à veritate abstrahuntur pudore & fugâ crucis, metu odii, invidiæ, exilii, periculi, & amissionis exterorum bonorum ac commodorum: alii assentandi studio, qui in gratiam Magnatum & Principum modò hanc, modò illam, & sic sæpè diversissimas religiones amplectuntur. En Tannere, quot & quanta sint obstacula, quæ à veritatis tramite multos abripiunt? Vides itaque, opinor, nos meritò, imo justissimè Antecedens in tuo sophismate, ut falsum, negare: Remotis enim hisce obstaculis, & legitimiè adhibitis mediis superius assignatis non putamus, quemque à veritatis via aberrare posse, nisi falsitatis promissiones divinas temere & impie incusare velimus. Si quis igitur vel in minimo vel in maximo hallucinatus fuerit, causa non erit, quasi hæc media non sint sufficientia; sed quod legitimè non fuerunt usurpata. Ubi enim vel ambitio, vel φιλαυτία, vel φιλοειδία, vel odium personæ, vel assentandi studium, vel metus crucis, ignominiae, & exilii, vel pertinacia, quomodo ibi vera sanctitas, quomodo ibi fidelis ardens & seria oratio: Ubi vel negligentia, vel præjudicium, vel præconcepta opinio, vel ignorantia linguarum, Logices in primis & aliarum artium, quomodo ibi vera eruditio ac decens meditatio? Eas nunc Tannere, ac vanissimè gloriari, omnia à te esse exclusa, & nihilominus firmum manere tuum argumentum! Falsum esse Antecedens oculariter evici: Falso itaque & nugax tuum sophisma, quod hæc vice

pro

¶ 502 50

pro virium mearum tenuitate ostendere decreveram.

Votum.

Quod restat, Deum ter Optimum Maximum, à cuius misericordia & potenti dextra Ecclesiæ & Politiae publica salus immediate dependet, ardentibus gemitis invoco, ut nos sanctificet in veritate suâ, ab omnibus insultibus Sathanæ protegat, à technis & dolis Hæreticorum liberet, Serenissimum Electorem Saxoniæ, horum Ducatum Tutorum fidissimum, Illustrissimas Videlas, Illustrissimos Saxoniæ Duces ac Principes, & inter hos Illustrissimum Principem ac Dominum, Dn. JOHANNEM ERNESTUM, Rectorem Academiæ hujus Magnificentissimum, &c. Dominos nostros clementissimos; Magnificos, Nobilissimosq; Dn. Consiliarios, totamque hanc Salanam sub umbrâ alarum suarum regat & tegat,

Amen.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-558468-p0027-9

DFG





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-558468-p0029-4

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-558468-p0030-6

DFG

153 044

ULB Halle
003 484 998

3



Sch

AB 153 044

VD 17






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-558468-p0032-7

DFG



The title page of a Latin book. The main text is in large, bold, black letters. At the top left, it reads 'ATIO' and 'inusq; perspicua,' followed by 'AT,' and then 'MUL-' which is cut off. Below this, it continues as 'II EXCEPTIO.' On the left side, there is more text: 'MI VIRI, IN SA-' on the first line, 'INTERPRETATIONE' on the second line, 'ABERRARE' on the third line, and 'IS?' on the fourth line. To the right of this, the text continues as 'RE' on the first line, 'AWERO, SS.' on the second line, and 'DOCTORE.' on the third line. Below this, the word 'ecusa.' is written. In the bottom left corner, there is a decorative floral ornament. The paper has a yellowish tint and some minor staining.